



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quænam jure canonico interdicta sunt religiosis transcundibus,
etiam licitè ad alias religiones?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

Quanam jure canonico interdicta sunt religiosis transeuntibus, etiam licet, ad alias religiones?

conditionibus) neque tamen Monachis ad Canonicos transire licet, prout colligitur ex *tit. c. sanè, & ex tit. c. licet*, cum Monachorum ordo strictior in jure habeatur, quam ordo canonicorum *c. quod Dei §. de statu monach.* nisi laxius in tali Monachorum Monasterio viveretur, quam in ordine Canonicorum regularium.

Ad ordinem tamen mendicantium transire non licet mendicantibus (excepto Carthusianorum ordine) sub pretextu cujuscunque licentiae, aut indulgentiae Apostolice (nisi specialis à Papa alicui licentia concessa fuisset) *juxta extravag. viam h. t. inter communes*, ubi sub pena excommunicationis transitus hic, & receptio, ac nullitate professionis, in posteriore ordine factae, prohibetur, ob bonum scilicet publicum, & conservationem ordinum mendicantium (videtur tamen pluribus in locis non esse usu recepta haec extravagans) potest tamen de jure communi, ex uno ordine mendicantium ad alium mendicantem ordinem strictiorem, servatâ formâ, à jure præscriptâ, transitus fieri, cum hic transitus nullibi à jure prohibitus sit.

Assumptus tamen ad Clericatum, seu ad chorum deputatus, in monasterio aliquo, potest quidem de jure communi ad statum fratrum Laicorum transire, ob ingens desiderium v.g. vitae humilioris, Clerico tamen religioso, in factis jam constituto, talis translatio non faciliè concedenda est; ob statum, quem jam obinet, dignitatem & reverentiam.

Quò libentius in sua, quâ vocati sunt vocatione, permaneant professi mendicantes, & ut discordiarum, ac schismatum productiva ambitio reprimatur, prohibet Pontifex in *Clement. ut professores* l. h. t. si ad non mendicantes, etiam auctoritate Apostolica, hi transiverint, ut ne ad prioratus, administrationes, aut quaecunque officia (Sacrifera v. g. Oeconomi, Cellarij, Syndici &c. etiam ut Vicarij, aut ad quodcunque regimen, vel curam animarum; tam intra, quam extra illam religionem exercenda, promoveantur illi, qui taliter transiverunt, neque vocem in Capitulo (Generali, vel Provinciali) habeant, quamvis administrationem aliquam, aut regimen in ordine, ad quem transiverunt, obtineant, aut locum; non quidem ad punitionem, sed ad alios ordinis tractatus, & Trid. vult. *sess. 14. capite 11.* ut omnes religiosi in claustris ordinis, ad quem sunt translati, sub obedientia suorum superiorum perpetuò vivant, & ad quavis beneficia secularia, etiam curata, sint omnino incapaces.

✠(o)✠